



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 105. Guidiccionus Cardinalis mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

Sæcul. XVI Marcelli , ubi sepultus quiescit , de-  
A.C. 1549. volveretur.

## §. CV.

*Guidiccionus Cardinalis mortuus.*

*Ciac. p 670.* Anno a Nativitate Domini millesimo  
*Attichy hist.* quadringentesimo septuagesimo Bar-  
*Card. Orlan.* tholomæus Guidiccionus Lucæ , quæ  
*hist. Soc. Jes.* Etruriæ urbs est , ex nobilissima gente  
*I. 2. n. 24.* erat ortus. Hic liberalibus disciplinis,  
*Ughel t. c.* *Aubery I. 6.* Theologia , ac Jurisprudentia apprime  
 excultus meriti sui famam usque ad  
 Romanam Curiam diffundebat, ibidem-  
 que a Farnesio Cardinale , qui postea  
 electus ad Petri Cathedram , Paulus  
 III. nominabatur , primo in familiam  
 suam adscriptus, postea generalis Par-  
 mensis Episcopatus Vicarius constitue-  
 batur; cum vero ad quamdam villam  
 prope Lucam secederet , ibidemque  
 nonnisi literarum , ac pietatis exerci-  
 tiis intentus esset, inde ab eodem Pon-  
 tifice revocatus die duodecima Decem-  
 bris Anno a Nativitate Domini millesi-  
 mo quingentesimo trigesimo nono una-  
 cum Clusina, Interamniensi , ac Luc-  
 censi Ecclesiis purpuram accepit , si-  
 mul Romanæ Urbis Gubernator , Da-  
 tarius , & Major Pœnitentiarius decla-  
 ratus : Verum primos duos hosce Epi-  
 scopatus summo Pontifici restituit , imo  
 postre-

postremum etiam Nepoti suo cessit. Jam <sup>Sæcul. XVI.</sup> alibi meminimus, quod idem Cardina- <sup>A. C. 1549.</sup> lis D. Ignatii Societati, ejusque approbationi sese vehementissime opposuerit, eoquod omnis generis novitates tanto odio insectaretur, ut adeo non novorum Ordinum introductioni faveret, ut etiam ex veteribus quosdam aboleri, omnesque duntaxat ad quatuor revocandos arbitraretur. At progressu temporis Guidiccionus mutata hac animi sententia novam hanc Societatem impenso studio colere cœpit. Obiit Romæ Anno ætatis suæ octogesimo die vigesima octava Augusti, prout sepulcralis ejus inscriptio testatur. Delatum est Corpus ejus ad Lucensem Ecclesiam, ubi etiam celebre monumentum erectum cernitur. Juridici illius tractatus collecti fuere in viginti volumina unacum pluribus opusculis, quæ adhucdum Romæ in Bibliotheca Vaticana asservantur. Ceterum hic Cardinalis summi Pontificatus honore adeo dignus censebatur, ut Paulus III. ejus obitum deplorans affirmaverit, quod Successorem suum amiserit. Præterea idem sibi asperrimus multis virtutibus inclarescebat.

## §. CVI.